



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Caput II. De obligatione Sacrum audiendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

LIBER QVARTVS.

DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

Sabbata Sanctifices.



ER Sandificationem, seu observationem Sabbati præcipitur observatio Festorum, quæ nunc propria sunt populi Christiani. Ejusmodi autem observatio consistit ex Cajetano in *summa*, v. *Festorum violatio*, in tribus, in missæ auditione In abstinentia ab operibus servilibus: In abstinentia quorundam operum forensium. Addo, & quartum, In observatione jejuniorum, quæ instituta sunt certo diebus in honorem Christi, & Sanctorum.

Primum ex his est Præceptum positivum: Secundum, & Tertium negativum; Quartum, alijs positivum, ut Bonac. *tom. 2. vlt. de præ. Eccl. q. 2. p. 3. 7. alij* probabilius negativum esse contendunt, ut Sylvester v. *Jejunium*, n. 22. Ioan. Sanch. in *fel. disp. 5. 4. n. 42.* Præmitram aliquid de festo in universum: tum de his quatuor correspondentia capita digeram, favente Deo.

CAPUT PRIMUM.

De Festo in genere.

§. I. Quis instituere dies festivos possit.

1. **P**res indigere festivos pro universa Ecclesia in honorem Domini, & Sanctorum, cap. *conquestus*, de *fer. c. 1. de consecr. dist. 3.* (utique Canonizatorum domtaxat, ex Sylv. *max. cit.* vel certe etiam Beatificatorum, sic Suarez *tom. 2. de Rel. lib. 2. cap. 11. num. 4. & 5.* esto oppositum doceat Diana *p. 3. tract. 5. res. 9.*) pertinet ad Pontificem Summum: Pro Diocesi, vel oppido ad Episcopum modo *max.* explicando. Eandem vim habet legitima consuetudo, siue universalis pro tota Ecclesia, siue peculiaris pro Diocesi, vel oppido. Legitima; inquam, quia ex se consuetudo sola, orta dumtaxat ex populi observatione, ejusmodi vim non habet, nisi quando saltem tacite prælati consensum includeret. Ratio est, quia id pertinet ad jurisdictionem spirituales, quam nullam habet populus, sed solum Prælati, quibus eam Christus Dominus communicavit. Quod non ita se habet in jurisdictione temporalis; hanc enim primitus residere in populo ab ipso tamen Principibus sæcularibus ad meliorem suæ gubernationem communicatam esse, docent communiter Authores &c.

2. Si quando autem Princeps mandet observari aliqua festa, ut ob insignem victoriam, coronationem Regis, imò etiam ob reverentiam alicujus Sancti de Rep. benemeriti, (quæ non accedente Prælati jussione, festa sæcularia, non verò Sacra appellari rectè possunt) non erit obligatio in conscientia ex virtute Religionis audiendi Missam, abstinendi à servilis: lege Abbatis cap. *quantum*, de *Feris*, Sylv. v. *Domin. q. circa initium*, S. Ant. 2. *p. rit. 9. cap. 7. §. 1.* solum enim tunc externa festivitas, & abstinentia à negotiis prohibetur. Interim tamen non nego contra legem peccari posse, & contra Principis obedientiam; sed hoc ad mortale, vix, aut ne vix quidem de facto pertingere, alibi à nobis est disputatum.

3. Episcopus verò Episcopalemque jurisdictionem habens indicare potest dies festos, quos voluerit. Ita Suarez *1. 2. de Rel. lib. 2. cap. 12.* Castro Pal. *1. 3. d. 2. p. 1. num. 5.* alique, ab omnibus etiam Regularibus observandos, ex Pell. *tract. 5. c. 4. n. 9.* notante *num. 14.* Regul. non

obligari ad festa sola consuetudine introducta, sed accedente consensu Cleri, hoc est, majoris partis Capituli, & consensu Populi: ex cap. *cum Clericis*, de *verb. signif.*, & *conquestus*, de *Feris*: vide Dianam *p. 4. tr. 4. res. 178.* sic etiam intelligit Castro, Pal. *tom. 2. ubi de Gabellis*, quoad Ecclesiasticos; & de Lugo *tom. 2. de Inst.* ubi de iisdem gabellis.

Monet Tamen Vb. VII. in Bulla edita anno 1642. (sed non jubet, nec potestatem tollit ut parce, ne fideles aggraventur, hanc potestatem Episcopi exerceant: puto insuper in rigore Episcopum siue positivo consensu populi, quem satis est non contradicere, id etiam licet (cum consensu tamen dicti Cleri) posse consuetudine nimirum sic legitime introducta.

§. II. Quid sint dies festi, & à qua hora incipiant, & finiantur?

1. **P**ræter omnes dies Dominicos, festosque dies quoddam Sanctissimæ Deiparæ, ac Sanctis dedicatos, omnes satis cognitos, illi ex universalis regula inter dies festivos sunt connumerandi, quos constitutio Synodalis præcepit, & non abrogavit consuetudo, quolique easdem consuetudines legitime introduxit: Ita Cajet. in *signific. v. Festorum violatio*, q. 2. Navar. *cap. 12. num. 5.* pro quibusdam festis dubiis Regula hæc esto: Esse observandos eos; quo magna pars populi observat. Si multi festum non violant, violant multi, verum Prælati silent habendum est eos festos esse ex libera populi pietate, atque adeo non obligare.

2. Quoad inceptionis horam, licet olim ea fuerit à Vesperis ad Vesperas, cap. 1. de *Feris*, Navar. l. c. jam nunc (nisi alicubi legitima sit diversa consuetudo) à media nocte ad median noctem dies festus incipit, & absolvetur. Ita Abbe. 2. de *Feris*, p. 2. Sylv. v. *Dominico*, n. 4.

CAPUT II.

§. I. De obligatione Sacrum audiendi.

1. **T**ene omnes baptizatos adultos ad missam (& quidem unam etiam in natali Domini) die festivo audiendam, idque sub mortali, (quia res est gravis etiam semel omittere, ex Suarez *tom. 3. in 3. part. d. 88. sect. 2.*) jam omnium fidelium sensus edocuit: Non autem tenentur non baptizati, quamvis cathæcumeni sunt, nec usum rationis non habentes, quales sunt parvuli &

dinalium, quam refert de Lugo *ibid.* n. 3. An, & in quibus Oratoriis; diximus *opusculo* nostro 3. de Sacram. Missæ, lib. 3. c. 4. §. 4.

Quo fitu?

A quo?

Dua Media Miffæ.

Presentia.

12. Hinc infero primò, satis esse ejusmodi assistentiam exhiberi humano modo, vel audiendo, vel videndo celebrantem, vel saltem ita sociando alios videntes, audientes, (quamvis sit quis extra Ecclesiam omnes præsentem non capientem) ut ex signis, & gestis Missæ aliqua colligere possit, & ut ad multitudinem assistentium censetur moraliter pertinere: idè, quod certè

P 3. semper

P 3

7. Tertio, quo loco Missa est audienda? Respondeo
in quacunque Ecclesia, etiam extra Patochiam: imò
non possunt subditos cogere Episcopi ad audien-
dam in Parochia, & declaratione Congregationis Car-
Pari I

semper contingit in sacello parvo etiam post columnam ejusdem parvi sacelli, etiam in Choro post altare pro Religiosis, vel Clericis ibi cantantibus. At in templo magno, ut, v. g. S. Petri Romæ, non satisfacere, si tu esses in Capella & in altera fieret sacrum: multo minus si propè columnam ab Altari distantes, vel parietem Capellam dividentes; quia tunc tanta distantia, vel divisio inter, & celebrantem nullis aliis intermediis tollit præsentiam moralem: nam propter contrariam rationem, satisfacere, si adesset magna hominum multitudo; tu verò esses ex postremis in eadem magna Ecclesia, quia scilicet tunc moraliter faceres unam cum ea multitudinem præsentiam.

13. Ex hac doctrina olim resolvi, num Moniales loco post Altare, quem in suis claustris habent, qui locus non videtur pertinere ad Ecclesiam, cum sit solum ad commoditatem ipsarum, ut inibi aliquibus diebus Officium cantent, num, inquam, à tali loco illæ possint visitare Altare, & indulgentiam illud visitantibus concessam lucrari: an potius obligentur illud visitare à Choro, qui est in ipsa Ecclesia ad Altaris prospectum directè situs? Dixi, cum inde horis Canonicis satisfaciant, indeque Missam etiam audire soleant, ut ipse à me interrogatæ falsæ sunt, & quidem ritè propter rationem num. præcedente dictam; nullam posse esse dubitationem quoad indulgentias, utrobique enim eadem præsentia moralis in Ecclesia requiritur, & sufficit.

14. Infero secundò, fenestra tuæ domus, si sit parva distantia ad altare Ecclesiæ, posse te satisfacere præcepto inde audiendo Sacrum etiam si sit intermedia via publica. Ita de Lugo de Euchar. disp. 22. sect. 2. num. 21. quia sic verè præsens es moraliter Sacro: secus erit in magna arbitrio prudentis distantia, propter oppositam rationem.

4. Infero tertio, non esse moraliter Missæ præsentem eum, qui sacramentaliter confitetur, dum Missa celebratur. Ita Suar. de Sacram. disp. 88. sect. 6. v. Septimum caput; Azor. 1. p. lib. 7. c. 7. q. 8. quia non satis est pietas actionis, si hæc distrahat, seu excludat moralem assensum; distrahit autem in casu nostro, quia actio externa Confessionis impedit ipsum externum cultum attendendi ad Missam.

16. Infero quarto, satisfacere præcepto de audientia Missæ cum, qui dum eam audit, recitat Psalmos, vel alias Orationes, etiam illas, quas ex obligatione recitare tenetur: Ita Suar. l.c. Azor. l.c. cap. 5. q. 3. alique communiter, quia talis attentio ad res divinas moralem præsentiam nequaquam tollit.

Imò, dum Sacerdos secretè orat, Orationes aliquas à fidelibus recitari, bonum consilium est; si quidem mentis evagatio; hæc ratio, melius evitabitur: quomodo autem duabus obligationibus possit uno opere aliquando satisfieri; vide latè apud Sanchez lib. 1. in Dec. cap. 14. num. 5.

Intentio.

17. Octavo, requiritur intentio volendi audire. Quare non satis est, esse in Ecclesiâ ad expectandum, v. g. amicum, nisi intendas etiam Sacro interesse. Pari modo, etiam si Missæ quis intersit ad videndam mulierem, vel ad aucupandam vanam gloriam, licet aliunde peccet, satisfaciens nihilominus, si interim Sacrificio vacet; modò hæc non impediunt, ut certè ex se sola non impediunt, præsentiam humanam ad Missam. Ita Sanchez. ibid. n. 1.

18. Si quis Missæ assistat intentionem habens non satisfaciendi præcepto, adhuc satisfacit (esto, peccet ex malo affectu, si die festivo non habeat animum implendi præceptum.) Ita Sanchez ibid. cap. 13. n. 8. Suar. tom. 2. de Rel. lib. 4. c. 26. num. 8. quidquid Marchinus de ordine, tract. 3. p. 3. cap. 17. n. 10. cum Azor. aliisque ibid. citat. quia ponit jam rem præceptam; præcipitur enim, ut audiat Sacrum, non verò ut cum ista, vel illa intentione audiat. A peccato autem satis abundè desistit, si intra debitum tempus, v. g. ante meridiem, voluntatem illam retractet, velique per auditam jam Missam obli-

gationi satisfacere. Hinc etiam fit, ut ignorans hodie esse diem festum, si audiat Missam non obligetur aliam audire post scientiam festi; jam enim præcepto satisfecit.

Attentio.

19. Nonò, desideratur attentio, estque communis quæstio, cum attentione ad Divinum Officium. Necessariam esse attentionem internam, hoc est, internam applicationem mentis ad Missam, vel Officium, sive ad verba, sive ad verborum sensum, hinc ad Deum, docent communiter Vasquez Sanchez; Suarez, innumerique alij citati à Diana p. 3. de Hor. Canon. resol. 2. vide etiam p. 3. tract. 4. resol. 10. ubi de Missa, Oppositum id est, solam externam satis esse, ad evitandum mortale, docuerunt antiquiores multi, Sylvester, Durandus, Medina, S. Antonius, alique, quos refert Diana, ex recentioribus Coninch, Galpar, Hurtadus; Diana; & probabile vocat Lessius, Henriquez, Victorellus, Layman; novissimè denique Io. de Lugo de Euchar. disp. 22. sect. 2. n. 27. prædictos citans, optimis rationibus id confirmat: unde & ego, sicut in opus. 5. de Sacram. Missæ, lib. 2. cap. 3. ita hic, idem probabile iudico.

20. Hæc autem externa attentio consistit in negatione distractionis externæ, id est, in negatione ejus negotij, vel occupationis externæ, quæ ex se distractiva sit mentis ab auditione Missæ; quale esset, v. g. velle historiam legere, confabulari, ludere, depingere, scribere, & similia.

21. Ratio potissima hujus probabilis sententiæ est: quia falsum assumunt adversarij, dum contendunt actualement internam attentionem esse de substantia Orationis, unde, cum Ecclesia præcipiat Orationem, necesse esse præcipere etiam dictam attentionem: falsum, inquam, id est, quia omnes fateri oportet, absque ea posse consistere Orationem.

Paret id in forma Extremæ Unionis, quæ est substantialiter Oratio: & tamen, si Sacerdos, sive voluntariè, sive involuntariè distrahat, adhuc conficit Sacramentum; signum est igitur, substantiam orationis non dependere in suo esse ab actuali attentione. Paret iterum, quia orare est loqui cum alio: at certè ego tecum loqui possum, licet non attendam; ut esset, si ex scripto, vel verbis memoria traditis, tecum agerem, imò & cum Rege; vel Principe interim aliquid aliud cogitando. Paret denique eo, qui ex scripto, vel sine interna mentis attentione loqueretur eum excommunicato vitando, vel professionem in Religione emittere: nam & ille in excommunicationem incidere, & hic veram emittere professionem, si respondisset ille loqui, & hic emittere aliquid enim est intentio externa, quæ omnino est necessaria; de qua locuti sumus num. præcedenti, & sufficere virualem diximus, in opus. 3. de Sacram. Missæ, lib. 2. cap. 1. §. 2. aliud attentio interna, quam non esse sub mortali (esto sub veniali, sup. lib. 2. cum de orat. &c.) necessariam, hic affirmamus. Cum enim ex dictis attentio actualis interna non ingrediatur orationis essentiam, unde certò habes Ecclesiam, quotiescunque orationem præcipit, præcipere & attentionem: Nisi certò habeas, non debes onus tam gravis legis certò fidelibus imponere. Alia minutione in hanc rem, præsertim verò oppositorum solutione, vide apud citatos.

§. II. De Causis excusantibus ab assensu Sacri.

Excommunicatio.

Vbi ab obligatione tollendi impedimenta.

2. Excusabitur primò, ab audiendo sacro excommunicatus, vel interdictus, sive publicè, sive privatim. Ita Suar. d. 38. sect. 6. initio March. de ord. r. 3. part. 3. cap. 17. num. 17. quia hoc prohibet, nedum excusat Ecclesia; idque procedit etiam si culpabiliter negligat

regit sibi procurare absolutionem (nollem tamen, ut
regit ex fine non audiendi Sacrum :) nam, sicuti
absolutus, & captivus, si de sua sanitate, vel liberatione
sibi minus sunt, non peccant, non audiendo sacrum
quia non tenentur tam remota impedimenta tollere : ita
qui in casu nostro diximus opusc. 2. Com. cap. 4. §. 4. d.
17. de opusc. 3. de Sacrif. Missa, lib. 3. cap. 6. §. 2. mox §. 3.
17. de obligatione non ponendi impedimenta, non
nulla subdemus.

Interdictum.

1. Qui, siue personaliter, siue localiter est interdi-
ctus, eodem modo, & propter eandem rationem, quam
interdictus, excommunicatus, excusatur à Missa. Solum du-
bitatur, an qui habet Bullam Cruciatam concedentem
privilegium, ut possit Sacro assistere tempore interdicti
localis, teneatur illi interesse die festivo ? Respondeo,
Non obligari tenent plures, ita Avila, Victoria, Canus,
Cominich. Alterius, Ledschias Lianas, Diana eosdem se-
quentes, ac citans p. 1. tract. 1. §. 1. resol. 2. alique Doctores
Salmanticenses apud de Lugo ipso citandum numero 12.
quia nemo cogitur uti suo privilegio. Obligari tenent
multi plures, ita Suar. Navarr. Sotus, Vivaldus, Me-
lchior, Valdez, qui citat, sequiturque de Lugo de Euch.
d. 17. §. 1. num. 13. quia præceptum hoc obligat, quo-
niam non habes legitimum impedimentum, seu quoniam
potest : ut nunc posito privilegio, potest : ergo, &c. certè,
si carcere detento detur privilegium, seu licentia à Ju-
dicis die festivo ad Ecclesiam interfuturus Sacro, nonne
obligabitur uti hoc privilegio, ut audiat Sacrum, cur
ignotum non in casu nostro : Hæc sententia est, verior præ-
terea solum attingit fines probabilitas, propter au-
thoritatem Doctorum extrinsecam.

Impotentia.

2. Secundò excusat Impotentia corporalis. Unde ex-
citantur carcere detenti, ægroti, & regulariter omnes
in quibus propter debilitatem, vel aliud exire à lecto,
vel recto ad similia negotia non datur. Incolentes loca
valde à templo distantia, communiter excusantur, verum,
aliqui tria, aliqui duo, aliqui unum milliare magnam ef-
ferre distantiam statuunt. Ita March. l. c. n. 19. Sed revera est
attendenda persona, via, plura, tempestas, & simi-
lium ratio, ut omnibus perpensis tali personæ judicetur
hoc notabiliter difficile. Item excusantur itinerantes, &
navigantes, quando vel Missa carent, vel notabilis esset
difficultas divertendi ad Missam. Præterea excusantur ju-
stis præcepto Superioris domi detenti ; imò & ij, qui
bona fide promissione, præsertim cum juramento, viro,
vel gratia, nobili data, & domo exire non valent.

3. Sed quid, si tunc domi suæ in Oratorio privato
haberi ex Sacerdote alias stipendiato sacrum possit obli-
gatione domi inclusus ad Missam audiendam ? Nega-
tive respondet Suarez d. disp. 88. sect. 3. c. 1. apud de Lugo
d. 17. §. 1. de Euch. sect. 2. num. 14. sed affirmativè proba-
bilis Marchinus de ordine, tract. 5. p. 3. cap. 17. num. 18.
de Lugo ibid. num. 15. quia non videtur excusandus, qui
cum in prompta Missam habere, quamvis ex privilegio
possit, tamen audit nolit : Dixi (alias stipendiato)
nam ceterum non te obligo ad accersendum Sacerdo-
tum dato novo stipendio : quia hoc præceptum obligat
solum ad audiendam Missam, non verò ad illam pecu-
nari stipendio procurandam.

Incidit hic curiosa Dubitatio : Pater, vel quivis Do-
minus filium, vel servum, ob correctionem, domi, vel
in cubiculo, quasi in carcere inclusum retinet, vel negat
eis indumenta ipsorum statui convenientia, unde non
possunt exire ad sacrum audiendum. An sicut excusatur
ipse filius, vel servus, ob impotentiam, ut certum est, sic
excusatur Pater, vel Dominus ? Ita etiam Superior Re-
ligiosus, vel Princeps in ordine ad suos, &c.

Respondeo : Huic scrupulo, quoad filium, his ver-
bis obviavit Fagundez Eccl. prælib. 4. cap. 1. n. 2. Ali-
quid possunt patres, si non omnino negare, saltem restrin-

gere, & moderari filiis alimentis circa victum, & vestitum
ad tempus in penam criminis, & ut in posterum resipiscant,
sine gravi eorum damno, aut valetudine. Quod intelligen-
dum est, etiam si filij ob vestitus negationem sacrum non au-
diant diebus festis : quia parentes solum intendunt filiorum
emendationem, non omissionem Missæ : per accideus enim
est, quod illam omittant. Emendatio enim à parentibus in-
tenta rationabiliter deus est ad utrosque, tam filios, quam
parentes excusandos. Hæc merito Fagundez, quæ sunt
etiam propter pacitatem rationis applicanda ad servum,
subditum, vassallum.

Solum de subdito Religioso adverte, duplicem posse
esse inclusionem : alteram in Monasterio, alteram in Car-
cere, seu Cella, utramque rationabilem, ut suppono : In
posteriori excusabitur tum ipse subditus, quia non po-
test ; tum ipse superior, quia rationabiliter inclosit : In
priori, cum possit Religiosus audire sacrum in Ecclesia
Monasterij (& eodem modo esset, si filius prædictus pos-
set audire in Oratorio privato suæ domus, &c.) non ex-
cusabitur. Fateor interim graviores causas requiri, ut
prohibeatur Religiosus, ne & Cella ad Oratorium pro
Missâ, etiam associatus, si opus fuerit, accedat ; quam
ut prohibeatur secularis, ne ad Ecclesiam extra domum
adeat, id quod Superiori prædicti examine ponderabit.

Periculum mali ; Vbi, quid de amissione lucri.

3. Tertiò, Excusabit omne justum, ac probabile peri-
culum notabilis mali, vel amissionis boni, siue timeatur
damnum in vita, siue in honore, siue in bonis. Ita March.
ibid. n. 29. Hinc excusantur ægroti, convalescentes, præ-
gnantes, peste infestam, vel bello vexatam Civitatem in-
colentes, quando sine notabili incommodo, iudicio pru-
dentis, domo exire nequeunt : Item mulieres nobiles,
quando decenti vestitu, suo statim accommodato caren-
tes, extra domum eas esse non datur, nec occulte eas
exire posse conceditur. Præterea matres, nutricesque, quæ
nec relinquere possunt infantes, nec propter magnos
vagus possunt eosdem ad Ecclesiam adducere. Simili-
ter quæ domo exeundo, cum gravida sit, propalaret
suum lapsum. Item itinerantes, cursatores, ex eo etiam
capite, ne amittant socios, vel viarum ductores, vel
quando urget periculum latronum, vel quid simile no-
tabile incommodum. Mulieres insuper, quæ ob mariti
zelotypiam, si è domo contra viri voluntatem exeunt,
timent rixas, perturbationes, notabile malum. Item fa-
muli, qui, nisi Dominis pareant, aliquod sibi darumum ti-
ment : sed certè de alio Domino se tunc famuli provi-
deant, si possunt, quando ex consuetudine eos ab audi-
tione sacri Dominus avertit. Denique Custodes Gabel-
larum Civitatis, messium, vinearum, gregis, vel domus,
quando propter Missam dubitant de futuro, &c.

6. Quod mihi contigit, cum Collegij Montis Re-
galensis Præfectorum gererem ; ut lectorem à seria le-
ctione tantisper avertam, breviter enarrabo : Emerat Col-
legij procurator, ut stabulo provideret, ex area cuius-
dam coloni non paucas palearum mensuras. Interim er-
go, dum paratur mulio ad eas asportandas, incidit dies
festus : quare à me procurator exquisivit, an rusticus
noctem, quem ad paleas custodiendas adduxerat, obli-
gandus esset ad Missam audiendam. Ego siue religione
Sacri tactus, siue damni securus dixi, custodi indice-
ret, ut sacro interesset ; Addidi tantum præceptum mihi
videri non esse transgrediendum propter eas paleas, quæ
vis non exigui pretij, quæ difficulter, imò vix furto
erant obnoxie, præsertim intra tam modicum tempus
unius, vel alterius horule, quæ in itinere, reditu, Missæ
que consumenda erat. Ita igitur factum est : Verum, quid
deinde est consequutum ? Eo temporis momento, quo
longè absuit custos ignis repente nescio, è quo vi-
cino loco casu accensus, in aridas paleas incidens
totas incendit, ita ut cineres per aream suffulos, non
jam paleas, imò ne palearum quidem pauculas reliquias
inveniret, regressus ad custodiam post Missam famulus ;
qui statim me convenit, de infortunio docuit, factoque

ipso me monuit, ne multum difficiles, sed verò prudentes in similibus se exhibeant Confessarii.

7. Sed redeo ad difficultatem posteriorem indicatam in titulo: An Missa omitti possit sine culpa die festo, propter lucrum, quod mihi cessaret, si Missa adesset? Communis hæc mihi videtur quæstio, cum in eodem die festo propter lucrum notabile, possit quis operibus servilibus vacare? & ut affirmative de ea respondebimus *infra*, cap. 3. §. 2. num. 8. sic & affirmative propter eandem rationem de hac erit sentiendum; rationem utriusque doctrinæ *ibidem* proferemus.

Charitas.

8. Quartò, Excusat titulus charitatis: ut quando non potest quis Missa interesse, & infirmo assistere, qui vel periculum subiret, vel medicamentis opportuno careret tempore; vel solus relictus laborem, animique anxietatem pateretur. Ad eundem titulum reducitur, quando femina sciens se argenter amari à juvene, qui præsto est in Ecclesia, à Missa abstinere; excusantur enim propter charitatem, ne scilicet labatur proximus. Ita Suar *loc. cit. sect. 6. §. quartum caput*: (licet à Joan. Sanch. in *select. disp. 37. n. 2. & 8. & disp. 2. n. 26. fin. Diana part. 5. r. 7. resol. 22. citante Granado*; hanc non excusati sciam; quia propter scandalum passivum non sunt omittenda opera præcepti) puto tamen illam non teneri ad ejusmodi Missæ omissionem; quia potest sequi hanc posteriorem sententiam, quæ certè probabilis est; & ex alia parte hoc non est scandalum datum, sed acceptum, quod homo non tenetur vitare cum tanto detrimento amissionis Missæ. Ita Suar *ibid.*

Consuetudo.

9. Quintò; Consuetudo introducta excusationem merito affert: Ejusmodi est illa, quæ mulieres post partum, habitamque ex parte salutem, aliquot dies se domi continent; & quæ filiz, vel uxores, fororève ob defunctum domo non egrediuntur; in quo certè consuetudo patriæ, præsertim in ejusmodi dierum numero discernendo, est attendenda. Pariem modo excusantur in Regno Neapolitano, præsertim Aquilæ, virgines nobiles, quæ nunquam exeunt à domo. Ita March. *loc. cit. aum. 12.* quæ quidem consuetudines essent prorsus extirpandæ, sed donec ab Episcopis tolerantur, non videntur esse damnandæ.

Peregrini.

10. Sextò; Excusanturne iter agentes, & Peregrini, qui transiunt per locum, vel in locum se conferunt, in quo celebratur festum de præcepto, si in loco suæ habitationis festum ejusmodi non celebretur? Respondeo, ij, qui sunt in transitu prandendo, v.g. vel ibi pernoctando, etiamsi una, vel altera nocte ibidem hæreant, non obligantur audire Missam. Ita Coninch. *quæst. 49. de Euchar. art. 4. d. 3. num. 114.* Contra, si ibidem permassent per majorem anni partem, obligantur. Ita idem *ib. n. 715.* lege Sanch. *de matrim. lib. 3. d. 18. & in dec. lib. 1. cap. 12. pag. 1. Eccl. præc. lib. 1. cap. 7. num. 3.* Suar. *tom. 1. de Relig. tr. sub. 2. cap. 24.* Ratio utriusque est, quia omnes tenentur legibus Communitatis, cuius sunt partes; at in prior casu partes non sunt ij, qui jam modico tempore in ea Communitate permanent; sunt in posteriore: Quod dictum est de Missa, dictum est propter paritatem rationis de faciendis operibus servilibus & de jejuniis: remota tamen scandalo quod in his contingere possit.

11. Quid, si nec majore anni parte, nec una, vel altera nocte, sed per octo, decem, viginti dies ibidem peregrinus commoraturus sit? Respondeo. Mihi satis fuit præscribere illos duos terminos, sub quibus certò urget, vel non urget obligatio: cæterum in casu nunc propostito Joan. Sanch. *n. 4 in select. disp. 54. n. 31.* citans Thomam Sanchez, aliosque, docet non teneri, dummodo is non maneat, seu non habeat animum ibi manendi per majorem partem anni. Ratio est sæpè dicta: quia pere-

grini non tenentur legibus loci, per quem transiunt vel in quo per modum hospitij reperiuntur. At Suar. *tom. 1. de Rel. tract. 2. lib. 2. re. 14. n. 7.* Aliique apud Joan. Sanch. citantur; docent teneri, quia secus nimis concederetur peregrino; nam etiam per quatuor, vel quinque menses non teneretur, eo prætextu, quod ibi non remaneret, seu manere nollet pro majore parte anni.

12. Afferamus aliud oppositum: Si enim contra, in loco tuæ habitationis sit festum de præcepto, non sit autem in loco, quo per transitum accedis, teneberisne manere ante discessum audire sacrum? Respondeo, Si prides gredieris à tuo loco, non obligaris. Ita Coninch. *ibid. n. 109. fine.* Ratio est, quia exeundo ex loco, ubi aderit præceptum, illud à te executis (neque enim leges particulares obligant extra Territorium) etiamsi de industria, ut non audias sacrum, ut non jejunes, ut servilia opera exerceas, ab eo loco discedas: fagis enim sic legitime legis onus, sicuti ij, qui dispensationem petunt, non verò violas. Ita Doctores *passim* apud Cast. *de legibus tract. 1. d. 1. part. 2. §. 5.* At difficultas est, si eodem mane, vel it quis exire à loco, ubi præceptum urget audiendi sacrum, & in locum, ubi non urget, pervenire. Nonnulli, ut Coninch. *ibid. num. 106.* Suar. *ibid. cap. 11. num. 9.* & Casil. Pont. *lib. 5. de matrim. cap. 8. num. 6.* docent, obligari Missam audire; quia ante professionem jam erat præcepto strictus; ergo, si ejusmodi obligationi non satisfacit, perveniendo ad locum, ubi non est festum, peccabit, cum suam obligationem non adimpleat. Nonnulli resoluunt, non obligari, etiamsi de industria modo dicto non faciat, dummodo ad locum, ubi non est festum, perveniat antequam ultimum sacrum ibi peragendum nempe ante meridiem: Ita Sanchez *loc. cit. Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 8.* Salas, Joan. Sanch. quos citat, sequiturque Castro Pal. *l. c. n. 8.* Ratio præcipua est, quia in proprio loco poterat differre auditionem Missæ usque ad meridiem, sit certum est: cum igitur discesserit, inque illum locum pervenerit intra illud tempus, in quo nulla est obligatio, poterit se illius loci moribus conformare, & à Sacro, ut etiam à jejuniis, atque abstinentia servilium se liberare. Utramque sententiam ut probabilem amplectimur.

13. Si in tuo territorio servatur festum peculiare v.g. S. Rochi, & in alieno territorio servetur aliud festum peculiare, v.g. S. Hyacinthi; si te in alienum hoc territorium transieris ante meridiem transferas, non obligaris probabiliter audire Sacrum. Sic Joan. Sanch. *disp. 54. n. 3. circa fin. contra Thom. Sanch. & Granad. ibid. cit.* quia non ex vi legis tui territorij, si quidem jam existi ab illo, & leges peculiare extra non obligant: nec ex vi legis alieni territorij, quia ibi tu es peregrinus; ergo, &c.

14. Vagi, hoc est, qui nullam certam habent habitationem, donec vagi sunt, non tenebuntur audire Missam in festis particularibus Civitatum: Sic Joan. Sanch. *ibid. num. 34.* alios citans; quia jam non sunt ibi commorantes per majorem anni partem, juxta dicta *num. 11.* ut supponimus. In festis particularibus, diximus jam in universalibus Ecclesiæ; eos teneri nulla est dubitandi ratio.

Confessio mortalium Sacramentalis à te faciendâ.

15. Aliena dixi, à te, nam si, ut fiat à moribundo confessio, tu Sacerdos omittas Sacrum, si tempus aliud non suppetit, te excusari à Sacro non est dubium ex dictis *n. 8.* sicuti nec est dubium, te obligari, si tempus suppetat.

16. Dixi rursus (mortaliter) nam cum confessio venialium, quod etiam reducuntur mortalia, aliàs absoluta, non sit de præcepto, Missæ autem auditio de præcepto sit, non poterit relinqui Sacrum die festivo, ut illa confitearis.

17. De mortalibus igitur aliàs non absolutis, est quæstio. Et quidem Suar. *tom. 3. in 3. d. 88. sct. 6. vers. septimum caput*: neque confessionem hanc, neque concionem putat, esse excusationem aptam ad omittendum Sacrum, etiam

quando occurrit moralis necessitas, ut quando
habetur Confessoris copia, & non habebitur po-
tenter, quia Confessorius dicitur, hinc, quia pater, vel
matris, vel filii, vel uxoris, vel alius, vel Ecclesiam.
Sed certe, sicuti Suarius assensit de concione
Angelus, Suar. l. c. quia hæc non est
necessaria, ita ab eodem discendo, de confes-
sione necessaria, non quidem unius,
sed aliorum, ea, quæ à me alibi c. r.
de conf. §. 6. n. 24. dicta sunt in eo casu, quo quis gra-
vis peccatis refertis, nec habet Confessarium poten-
ter, ut absolvere.

Ratio nostræ doctrinæ, quam merito sequitur Bauci,
de pecc. c. 9. est. Primò, quia, licet per contritionem
possit peccatum, id tamen medium est difficile, &
in dicta parte diu permanere in inimicitia Dei, valde est
periculosum, cum, qui à damno possidet, facile in
peccatum prolatur, juxta vulgatum illud S. Grego-
rii: Peccatum, quod per penitentiam non diluitur, mox quo-
pietate ad aliud trahit. Secundò, quia DD. pro necessita-
te valde hac inferioribus, excusant à Missæ auditi-
one, ut hæcenus vidimus: ergo non est hæc, de qua nunc
loquimur, improbanda. Tertiò, ex charitate excusamus
quosdam, qui ab auditione Sacerdotis, ne adulescent illam
videns, peccet, & non excusabimus, ut illa ipsa à pe-
ccato excuset, divinamque sibi ascripserit, ut super
ita nequaquam differat?

§ III. Quadam ad hoc præceptum pertinencia.

Ubi:

De Obligatione non ponendi impedimenta ad
Sacrum audiendum.

Averte denique breviter quinque. Primò, eum,
qui rationabiliter excusabitur ab assistentia Mis-
sæ, non teneri fundere orationem aliquam loco illius.

Secundò, omittentem cum culpa Missam die festo,
penam mortalem, nullam incurre penam.

Tertiò, præter Missam in die festo, non adesse obli-
gationem audiendi concionem, vel alterius boni operis
faciendi. Ratio horum trium est, quia de his nullum ap-
paret præceptum. Ita Navar. cap. 7. Syl. v. Dominica,
quæst. 2. aliique.

Quartò, docuimus in opus. 3. de Sacrific. Missæ lib. 3.
cap. 6. §. 2. lege item opus. 2. de comm. §. 4. n. 37. eum, qui
mane diluculo potest audire sacrum, prævidetque non
posse sub meridie, obligari audire diluculo: quia præ-
cepti obligatio tunc jam adest, urgētque toto tempore
matutino: id quod nunc recoluisse sit satis.

Quintò, quid dicendum est de ponente impedi-
mentum? Potestne quis licite se in negotium, v. g. aliquid
grave implicare, vel in aliquem locum distantem ab Ec-
clesia discendere, in quo prævidet non posse die festi
Missam audire?

6. Dico primò, posse, tempore à die festo remoto,
etiam eo fine, ne audiat, seu ne teneatur audire Sacrum,
ita Cast. 1. d. 1. de l. p. 12. Sanch. lib. 1. in Dec. 15. Me-
noll. 1. d. 4. de l. dub. 27. Ratio est, quia tunc præceptum
non obligat, nec est in proximo, ut supponimus. Er-
go ponendo etiam cum illa intentione impedimentum,
non tam censetur ponere impedimentum executioni
præcepti, quam se eximere à præcepto, seu effugere, ne
obligetur ad præceptum; quod quamvis, non sit univer-
sale in omnibus præceptis, & in omnibus impedi-
tis, videtur in his præceptis humanis, quæ non cum tan-
to rigore obligant, ut est præceptum de Missa, de Jeju-
nio, & similibus, & in his impedimentis temporalibus.
Non absimili modo, qui exit à loco, ubi est aliqua lex,
v. g. Jejunij, & se etiam cum intentione non jejunari
conferat ad locum, ubi ea lex non adest, non legem trans-
greditur, sed legem ipsam à se legitime sine peccato ex-
curre fatigat: Idem evenit in eo, qui dispensationem à
lege legitime petit, exemptionem enim à lege petit,

non verò inobservantiam. Idem ergo in casu nostro.

7. Dico secundò, non posse quempiam impedi-
mentum ponere eodem die festo, vel festi proximo, quo
posito, non valeat interesse sacro. Ratio est, quia eodem
die, vel tempore proximo, quod moraliter, & humano
modo ad eundem diem pertinere videtur; urget præce-
ptum, & consequenter obligatur fidelis tollere impedi-
menta executioni præcepti per se obstantia; qui enim
obligatur ad finem, obligatur ad media per se, & proxi-
mè necessaria ad illum consequendum; ergo multò ma-
gis obligabitur ad illa impedimenta de novo non po-
nenda: quis enim non censetur, te nolle audire Sacrum,
& non obedire præcepto, si eodem die à loco, ubi Missa
adest recedas, atque ad alium, ubi nulla inveniendi est
Missæ, sine necessitate te conferas? Ita nos Opusc. 3. de
Sacr. Miss. cap. 6. §. 1.

De his duobus dictis fusi Diana p. 10. n. 14. resolut. 11.
ad meam sententiam. Loquitur autem ipse de ludente
pila, an sic defessus obligetur jejunare? Scio Januarius
p. presol. 53. & 54. dicere, se ludo defatigantem, vel phar-
macum sine necessitate sumentem in die jejunij, non
peccare, non jejunando, etiam ad finem non jejunandi
ea suscipiat, scio, inquit, id, sed certe ejus rationes ad li-
bram expensæ probabiles nequaquam apparent.

8. Adhuc tamen vellicat me quidam scrupulus; quan-
tānam propinquitas desideratur, ut iudicetur impedi-
mentum esse positum tempore proximo ipsius diei præ-
cepti, atque adeò, ut sic censetur moraliter esse positum
in eodem die, quo urget præceptum, de quo loquimur in
hoc num. 7. non verò censetur esse positum anteceden-
ter, de quo num. 6. loquuti sumus.

Prævisio carentia Missæ an obstat venatum
ire cupienti.

9. Id expeditius explicabitur, si proposuero casum,
de quo olim fuerunt interrogati duo quidam ex nostris
Patribus, dum ego in eodem, quo illi, collegio adoles-
cens versarer, meoque more jam tum omnia ferè similia
ad futurum tempus, etiam scripto reservabam. Quidam
ex congregatione nobis selecti adolescentes, ad fe-
ras in remoto nemore venandas se egressuros, ut sit, ex
compacto decreverunt; quo in nemore opportunitas
audiendi sacrum die festo ne quaquam suppetebat. Age-
batur autem dies Veneris illius hebdomadæ; & die con-
sequenti iter arripere eum ingrederent, interrogaverunt
à Patre sodalitatis Præfecto, an illis id liceret, quan-
doquidem fore prævidebant, ut die Dominico instanti,
in eo loco Ecclesiis remotissimo, Missæ non essent in-
terfuturi? Respondit Pater, sine culpa licere, quia nunc
(aiebat) hoc est, die Sabbati, non est in præcepto audi-
tus Missæ; die autem Dominico propter remotam ab
Urbe distantiam, excusatio aderit satis legitima; pote-
ris ergo tui hodie vestra libertate egrediendi, quò libe-
rit. Profectò, si vobis ad venandum hoc die proficiscendi
venia non daretur, nec simili die concederetur volunta-
rio Peregrino posse iter prosequi, vel suscipere; nec mer-
catori diviti posse navem conscendere, & à portu solve-
re, nec Dominus nulla necessitate oppressus ad sua prædia
diebus festum immediate præcedentibus se conferre:
quæ tamen, & similia Fidelibus interdiceret, durum esset,
& rigorosum nimis. Hæc ille. Verum, adolescens qui-
dam ex illis, paulò cæteris religiosior, hujus Patris con-
silio non acquiescens. Patrem Rectorem ejusdem Colle-
gij, quid de hoc ipse sentiret, interrogavit: qui nequa-
quam licere respondit. Addiditque rationem quia, quam-
vis die Sabbati (dicebat) quando paratur profectio,
non appareat præceptum; instat tamen, atque in proxi-
mo urget, & consequenter adest præceptum moraliter.
Nam fac, velle quempiam exire ab Urbe una hora ante
mediam noctem, quæ diem Dominicum præcedit, nul-
lus non illum reum faciet præcepti; quia ita est in pro-
ximo tunc præceptum, ut moraliter adesse censetur:
sed etiam moraliter adesse censetur die præcedenti, id
est, toto Sabbato: ergo pariter reus erit censendus; si
tunc

tunc exeat. Illi autem iter agentes, mercatores, similesque, certe nec excusari debent; communiter tamen excusantur, quia ad obligationem non attendunt, sed quæque fide procedunt. De hac Responsione Recloris admonitio Patre congregationis, versa res est in disputationem, altero negante, concedente altero, qui ferebat quidem moraliter censeri adesse præceptum illa hora una, vel altera ante mediam noctem, negabat, toto die Sabbati, idque propter sufficientem distantiam à die Dominico, præsertim in hoc præcepto, quod non judicatur tam rigorose recipiendum; ut ex praxi, qua propter tot capita fideles ab eo excusare consuevimus, perspicuum est. Et hæc quidem illi Patres. Sed cuius sententiæ profecturi iuvenes annuerint, ignoro: illa duo scilicet, & utrumque Patrem probabiliter esse loquutum; & quamquam hæc in re propinquitas, vel distantia, ex gravitate, & rigore præcepti, ex praxi timoratorum, ex operis necessitate, utilitate, honestate, & cæteris similibus, iudicio prudentis, ut *Opusc. 3. lib. 2. c. 6. §. 1.* fecimus, esse iudicandum, Quod quidem iudicium, cum diversum ex variis causis esse soleat, ut fuit in proposito casu; mirum non est, si frequenter idem casus diversimodè à diversis, probabiliter resolvatur.

CAPUT III.

De Abstinencia ab operibus servilibus die festo.

§. I. Quam sint servilia.

1. Opera propriè servilia, quæ sub mortali in diebus festis verantur, ea sunt, ad quæ deputantur servi, atque exerceri à liberis nequaquam solent, & immediate in corporis utilitatem fieri, ut plurimum consueverunt. Ita *Suar. 1. de relig. tr. 2. lib. 2. c. 23.* Cast. Pal. 1. 2. d. unica, de observ. fest. p. 5. Hujus generis sine dubio censentur, arare, fodere, serere, ligare, lapidesve cadere, fabricare, & universaliter opera artium mechanicarum exhibere: liberalia sunt ea, quæ ad artes liberales pertinent, atque à liberis exercentur, & immediate referri, ut plurimum solent, ad instruendam mentem, seu ingenium; qualia sunt, dare consilium, concionari, studere, docere, discere, cantare, organa musica pulsare, choreas agere, de gladiari, vulgò (*schermire*) Bellum gerere, &c. Ita Laym. lib. 4. tr. 7. c. 2. n. 6. citans Molinam, & Besarium. Inveniuntur & alia tertij generis, quæ scilicet sunt servis, & liberis communia, ut iter facere, venari, piscari. Vide tamen quæ dicam à n. 8.

2. Jam verò certum sit primò, servilia esse prohibita, liberalia, & communia, non item. Patet ex illo *Levit. 28. Omne opus servile non facies in eo*, quod ab Ecclesia receptum jam est c. licet, de servis.

3. Certum sit secundò, servilia, tamen si non fiant propter lucrum, esse prohibita; quia adhuc sunt servilia, prohibitio autem non est nisi de ipsis operibus; quare parum facit, an ob lucrum exercentur, an verò gratis; contra, tamen liberalia, tamen communia, si fiant ob lucrum, non propterea prohibitioni sunt obnoxia, (idem si fiant ex officio) quia spes lucri, vel ea facere ex officio, non transferunt opus ex se liberale, in servile, studere, v. g. sive ob lucrum fiat, sive gratis, suam operis liberalis naturam semper retinet.

4. Certum sit tertio, si quid facias ob finem moraliter bonum, v. g. ares ad sublevandos pauperes, ad reparandam Ecclesiam, &c. te non extrahere opus servile à suis terminis, & in liberale transmutare. Quamvis enim interdum opera servilia ob talem finem liceant diebus festis, id non est, quia induant rationem operis liberalis, sed ob alias rationes infra expendendas.

5. Certum sit quarto, in hac re maximam habendam esse rationem usus, & consuetudinis: potest enim usus

quas artes pro servilibus habere, & consequenter eas veritas esse diebus festis, & contra. Servitus enim, & ignobilitas operis, præmaximè ex estimatione hominum comprobatur. His iactis fundamentis, in illis operibus, quibus aliqua subdubitatio de ipsarum conditione exorta est, tantisper immoremur.

Transcribere.

6. Licet die festo transcribere. Ita Pelliz. in man. Reg. tr. 5. c. 4. n. 23. Laym. lib. 4. tr. 7. c. 2. Sanch. c. 2. l. 5. d. 11. Cast. l. c. n. 4. & 5. sive enim gratis, sive ex mercede, sive ex officio, sive alio modo fiat, semper est opus liberale: quia non differt ab ipsa actione scribendi; & Romæ passim copistæ, die festo sine scrupulo, suum hoc munus obeunt publice.

7. Hinc & licet Brevia, & Privilegia transcribere, item libros corrigere, sive id fiat delendo lineas, sive superposita charta conglutinata; id enim quamvis videatur servile, est tamen accessorium, quando per accidens fit ab ipso corrigente: sicuti etiam Typographo licet characteres ordinare, seu componere; non autem Torculari exprimere, quod certè servile est. Ita Homobonus, & Layman apud Dianam p. 4. tract. 4. res. 6. licet denique computare mercadem, & illam solvere operariis, rationes dati, & accepti facere, ac transcribere; non enim hæc sunt servilia. Ex his discite similia.

Quid de scribendis, vel exscribendis notis Musicis Respondeo. Id pertinere ad artem liberalem Musicæ; atque adeò, non esse diebus festis prohibitum, nequaquam ambigo. At lineas iidem notis subjectas, seriis, & per se duere non permittit: id enim mechanicum quid est, & apparatus ad scribendum, non verò est, scribentes nisi fortè per accidens interdum fiat, quando nimirum eas designare necessarium videatur ad præsentem notas describendas.

Pingere, Venari, Piscari, Sculptere.

8. Concedunt non pauci, die festo imitari, seu trahere exemplaria, item designare, item feceris ac eadem exemplaria excipere, item discipulis Pictorum aliquid ad discendum delineare: hæc enim (aiunt, & quidem rectè) ad ingenium exercendum magis, quod est quid liberale; quam ad operandum referuntur. Ita Castro Pal. l. c. n. 7. aliique apud ipsum; sed de ipsa absoluta pictura idem docere prædicti Doctores nequaquam audent. Breviter ardet mihi sententia Laym. lib. 4. tr. 7. c. 2. n. 3. cui adde S. v. Festum, p. 5. Pelliz. tract. 5. cap. 2. 5. aliique apud Castro Pal. l. c. n. 6. qui, cum dixisset, Pictoris contendere, suam artem unam esse ex liberalibus; conclusit, esse probabile, pingere sine magno apparatu licere die festo: verum enim pingere, liberale est, ipsi scriptioni simillimum: nam perinde color in pictura, ac atramentum in scriptura, ex vase in telam, seu chartam artificiosè deponitur, & quoad operationem ipsam materiale, quæ ab hoc præcepto potissimum respicitur, & prohibetur; parum facit, quod pictura intendat rerum imagines exprimere, scriptura autem internos conceptus.

9. Sed urgeat scrupulus: quisnam est ejusmodi magnus apparatus? Puto esse eum, quo conteruntur, seu miscentur colores, edolantur tabulæ, gypso parantur telæ, efformantur penicilli, &c. hæc enim verè famulorum sunt ministeria; & certè idem esset in venatione, vel piscatione: quia quamvis hæc licet ex se exercentur die festo; tamen, si aliqua intermisceantur propria servorum, non exercebuntur licitè. Ita Layman. loc. cit. n. 6. Diana p. 4. tract. 4. res. sol. 2. 2. lege Cast. ibid. n. 8. ubi multi pro hac sententia citantur, Azor, Sà, Bonac, &c. Hujus generis esset reficere ex proposito retia, componere seriis atramenta, elcas, hamos, nassas, principaliter compingere; immò, & eadem magna retia, quas *Sciabbie* as vocamus, magno nisu, & piscatorum labore, longo tempore atrahere, & similia. Vide infra, §. 2. n. 23.

10. Quid de arte sculptoria? Respondeo certè hanc